



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

28. Quomodo Innocentij pontificis Max. epistol. ad Arcadium Imp. qua eundem ob Ioannem Chrysost. in exilium eiectum, grauissimè obiurgat, & anathemate percellit, eademq[ue] pœna in alios eiusdem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

que opus admiror, illius libertatem, huius autem obedientiam: illius zeli feruorem, huius fidei puritatem. Porrò regulas pietatis, quas à magno sacerdote percepit, etiam reuerfus in Cōstantinopolitana vrbe seruauit. Nam cū festiuitatis tempore ad Ecclesiam processisset, oblatis ad altare muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius tum Præful Ecclesie rogasset, cur intus stare noluisset, mandauit princeps: Vix, inquit, potui discere quæ differentia sit Imperatoris & sacerdotis, vix enim inueni veritatis magistrum. Ambrosium namque solum noui digne vocari pōtificem. Tantum itaq; profuit increpatio à viro virtutibus florente profecta.

*Nicephorus Callist. libr. 13. cap. 34. Ecclesiast. histor. Innocentiū Pontifi. Max. epistola ad Arcadium Imper. qua eundem ob Ioan- nem Chrysof. in exilium eiectum exauissimè obiurgat, et anathemate percellit, eadem- q; pœna in alios eiusdem immanitatis con- sortes, animaduertit.*

## CAP. XXVIII.

*Litteræ Inno-  
centij pape qui  
bus Arcadiū,  
Atticū, &c.  
anathemati  
subiecit. Ioan-  
nes re & cau-  
sa indicta dā-  
natus.*

**V**OX sanguinis fratris mei Ioannis cla-  
mat ad Deum contra te, ô Imperator, si-  
cuti quondam Abel iusti contra parricidam Cain: & is modis omnibus vindicabitur. Nec id modò admifisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnam aduersus Deum & Ecclesiam eius concitasti. Eiecisti è throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis

orbis doctorem, & vana cum eo CHRISTVM  
 persecutus es. Neque de illo ita queror (for-  
 tem enim, seu hæreditatem cum sanctis Apo-  
 stolis in Dei & seruatoris nostri IESV Christi  
 regno consecutus est) quamuis intolerabilis  
 iactura ea sit: sed affligor propterea, quod pri-  
 mū de animarū vestrarū salute, deinde de eis  
 qui sapientissima spirituali & diuina doctri-  
 na & institutione eius orbatī, fame verbi Dei  
 conficiuntur, sum sollicitus. Non enim Eccle-  
 sia tantum Constantinopolitana mellitæ illi-  
 us linguæ iacturam fecit, sed & orbis sub sole  
 totus ad orbitatem redactus est, viro tam diui-  
 no amisso, persuasione vnius mulieris, fabu-  
 lam hanc & spectaculum exhibentis. Verūm  
 excipiet ille & præsentem hic pœnam, & fu-  
 turum sempiternum supplicium nō post mul-  
 tis hęc dies ei adueniens. Tametsi enim be-  
 tus Ioannes vitam reliquit, fide seruata, &  
 fluctuantibus confirmatis: in æterna tamen se-  
 cula sempiternarum deliciarum & immorta-  
 lis vitæ hæreditatem est consecutus. Noua au-  
 tem Dabila Eudoxia, quæ paulatim te erroris  
 seu seductionis nouacula totondit, execratio-  
 nem ex multorum ore sibi ipsi induxit, graue  
 & quod gestari nequeat peccatorum pondus  
 colligans, atque id prioribus peccatis suis su-  
 peraddens. Itaque ego minimus, & peccator,  
 cui thronus magni Apostoli Petri creditus  
 est, segrego & reijcio te & illam à perceptio-  
 ne immaculorum mysteriorum Christi Dei

*Skimū malū  
Eudoxie mi-  
natur.*

*Cū Ioanne de-  
functo opti-  
mè actum.*

*Eudoxia alie-  
ra Dabila.*

*Excommu-  
nicatio.*

*Ligandi vin-  
culum.*

*Extremum  
Christi iudi-  
cium.*

*Asfacius de-  
functus exau-  
thoratur.*

*Sacrū Episco-  
porū album.*

nostri. Episcopum etiam omnem, aut cleri-  
cum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui admini-  
strare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea  
hora qua præsentem vinculi mei legeritis lite-  
ras, dignitate sua excidisse, decerno. Quod si,  
vt homines potentes, quenquam ad id vi ade-  
geritis, & canones vobis à seruatore per san-  
ctos Apostolos traditos transgressi fueritis,  
scitote non parum id vobis peccatum fore, in  
horrenda illa iudicij die, quum neminem hu-  
ius vitæ honor & dignitas adiunare poterit,  
arcana autem & abdita cordium sub oculos o-  
mnium effundentur atque exhibebuntur. Ar-  
facium, quem pro magno Ioanne in thronum  
episcopalem produxistis, etiam post obitum  
exauthoramus, vna cum omnibus qui consul-  
to cum eo communicarunt episcopis: cuius et-  
tiam nomen sacro episcoporum albo non in-  
scribatur. Indignus enim eo honore est, vt qui  
episcopatum quasi adulterio polluerit. Om-  
nis siquidem plantatio, quæ à patre nostro in  
coelis plantata non est, eradicabitur. Ad The-  
ophili abrogationem addimus excommuni-  
cationem, anathematismum, & absolutam à  
Christianismo alienationem. Hæc Innocentius  
pro Ioanne pugnans scripsit.

*Gregorius Episcopus Turonensis libr. 1. cap. 79.  
De gloria martyrum. Qua autoritate v-  
sus sit Leo Episcopus Agathensis, in Goma-  
charium comitem agrum Ecclesiæ eius inua-  
dentē, et de diuina in Gomachariū vltione.*  
C A